



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. An si unus coniugum adulterium commisit, possit alter coniux innocens, licitè transire ad religionem, vel ordines sacros sispicere etiam adultero invito?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

vel ex communi consensu ab utroque fieri posse (ita ut nec ad petendum, nec ad reddendum debitum sit obligatio votentis taliter) & quidem vel ad tempus, quo elapso ad matrimonialem thorum compelli possit, qui ad tempus voto continentie cum alterius licentia se obligavit, vel in perpetuum ex *c. Charisimus* 11. h. 2. habetur: quamvis enim in proprium præjudicium possit conjux sine consensu alterius voto continentie se obligare, ad non petendum debitum, non tamen potest sine consensu alterius votere etiam castitatem ad non reddendum cum præjudicio alterius.

§. VI.

An si conjuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, uterque vel alter eorum religionem profiteatur, possit unus alterum repetere seu revocare?

Respondetur negativè, prout sumitur ex *c. Dudum* 21. h. 2. cum enim per consensum datum ad votum continentie faciendum omni jure suo, quod ad matrimoniale commercium habent, conjuges, cesserint hi, qui licentiam ad votum dederunt, consequenter illicitè facerent, consensum justè, & piè datum, injustè revocando, si conjugem in tali casu professum repetere.

§. VII.

An si unus conjugum adulterium commisit, possit alter conjux innocens, licentia transire ad religionem, vel ordines sacros suscipere, etiam ad altero invito?

Possit maritum innocentem, si uxor illius adulterium commisit, quod

Compend. Pirking.

in foro externo notorium est, aut propter quod sententia divortij legitimè lata fuit, etiam invitâ hac, ad religionem transire, & in ea profiteri, absque eo, ut revocari ab uxore sua adultera possit ex *c. consuetus* 15. & ex *c. Veniens* 16. h. 2. patet, ex quibus textibus etiam patet, quod ad ordines sacros maritus talis, in casu adulterij talis ab uxore commissi, hac invitâ transire possit, si nihil aliud obstat, cum talis adultera omne jus suum, quod in maritum habebat, in ordine ad matrimonialem thorum, amisserit: & quamvis etiam conjux adulter, si innocens statum mutavit, & in religione v. g. professus est, ad religionem transire possit, sine alia licentia expressa, ab innocente obtenta, cum per professionem ab innocente susceptam sufficientem licentiam dedisse conjugi adulteræ ad religionem transeundi merito censeatur possit, non potest tamen etiam post divortium celebratum ad religionem transire adultera, sine expressa, vel tacita licentia innocentis, ut ne innocens sine consensu suo, jure suo reconciliandi sibi, si velit etiam post divortium adulteram, privetur; & si licentiam huic de professione in religione dedit innocens, non tenetur hic vel ad religionem transire, vel votum continentie facere in sæculo, cum ea, quæ circa has obligationes statuuntur in jure, statuuntur in casu matrimonij integri, & non propter adulterium (quoad thorum saltem) dissoluti.

¶(o)¶

¶¶¶

§. VIII.